

§. VI. β) Reformationis Historia fidem facit, Carolstadium & Schwenckfeldium (istorum enim exempla nobis potissimum objecit ARNOLDVS) jam antea in quaevis extrema fuisse prolapsos, quam a Luthero fuerant debellati. Quam inconditis & barbaris moribus, & inexpugnabili animi pervicacia Carolstadius extiterit, & quam leniter tamen Lutherus initiis eum habuerit, ARNOLDO ex Historia cognitum esse potuisset. Notissimae sunt non modo LUTHERI, sed etiam Melanchthonis, Camerarii, Mosellani aliorumque de eo querelae ac judicia, quae partim jam ante publica Luthericum Carolstadio certamina se exerebant. Imo ipse ARNOLDVS veritate convictus in der K.u.K.H. l.c. c. XIX. §. II. aliter plane judicat: *Lutherus, als er von Wartenburg wieder gen Wittenberg kam, habe Carlstadt gebeten, daß er schweigen möchte.* Quid aequius esse potuerit laudabili hoc mansuetudinis Lutheri exemplo, non video. Et quamvis Arnoldus l.c. statim sui oblitus hoc oppugnare videatur: *Die Universität habe doch Carlstadts schon edirte Schriften confiscret, dаберо sich viele von Lutheri Liebabern an diese seine Action gestossen, und sich in seine Erklärung nicht finden können,* qui tamen haec paulo accuratius perpendit, facili opera deprehendet, a) *Carolstadii scripta non fisco adjudicata a Luthero, sed a Senatu Academico esse, qui non mero Lutheri arbitrio, sed summa Electoris Principis voluntate in hoc negotio regebatur,* b) *factum istud non intendisse majorem subinde controversiarum cumulum, sed potius tumultuum ac turbarum finem & imminutionem,* c) *Carolstadium in Lutherum habuisse odium plus quam vatinianum, ex invidia & aemulatione procreaturn, adeoque si non unicum, tamen potissimum dissidiorum & controversiarum auctorem extitisse.* Sic enim queritur Lutherus de eo admodum vehementer T. II. Epistol. lat. p. 234. a: *Per pulit eum insana gloriae & laudis libido, infensior mibi, imo nobis est, quam ulli hactenus fuerunt inimici.* De Schwenckfeldio autem magis adhuc